



TRassico apud Obotritos & Vandalos ob rei bellicæ peritiã & corporis fortitudinẽ princeps constitutus fuit, eo tempore cum Carolus rerum in Germania potiretur. Cum autem Saxones Christianam religionem suscepissent, atque Caroli præfectis hinc inde obedirent, Nordalbingi, qui hodie Holfatæ dicuntur, furore correpti, eos præfectos ultra Albim existentes interfecerunt. Postea etiam exercitu collecto, Vandalos & Saxones bello petere statuerunt, antequam Carolus rex eis succurrere posset. Verum Trassico magno animo suos cohortatus ipsis restitit, atque cum eis prælio decertavit. In eo Trassico uictoriam acqui-

siuit, atque quatuor millibus hostium interfectis, idolorum cultores fortiter repressit. Itaque is ob res præclare gestas apud Carolum & ceteros Germaniæ Heroas, semper insignis extitit, atq; suo exemplo plurimos ad ueram pietatem & optimas corporis & animi uirtutes excitauit. Albertus Crantz in Saxoniam libro

secundo, capite 18.